Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Aristophanis Comoediae Grecae.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

Visual Library

lexandro Garcio Bononiensi integerrimo viro, ac optimo (ut ajunt) amici amico, & tui quam studiosissimo, hunc optimum fore librum existimavi: ubi facile, ac brevi, quod cupis, queas efficere. In eo enim de nomine & verbo, & cæteris orationis partibus sic copiose tractatur, ut nihil, quod necessarium græce discere incipientibus videretur, prætermiserit Urbanus meus Divi Francisci Sacerdos optimus ac integerrimus; qui ad communem omnium, & latinorum maxime utilitatem, istas institutiones meo rogatu, ac impulsu potius composuit. Accipe igitur munusculum nostrum, qua fronte cuncta litteratorum soles, non quod te dignum sit, sed quia tu humanissimus. Vale.

ARISTOPHANIS COMŒDIÆ GRECÆ.

Venetiis, per Hæredes Aldi, MCCCCXCVIII.

Aldus Manutius Romanus, Danieli Clario Parmensi S. P. D.

PErbeati illi mihi videntur, CLARI vir doctissime, qui hoc tempore in summa bonorum librorum copia liberalibus disciplinis operam daturi græce discunt; facile enim se brevi græcam linguam, nisi ipsi sibi defuerint, consequentur, in qua multis sæculis nullus fere ex latinis culpa magis temporum, quam ingeniorum, excelluit; facillime græcis litteris adjutricibus omnium laudatarum artium procreatricem Philosophiam callebunt, nec medicinam minus. Errant meo judicio multum, qui se bonos Philosophos Medicosque evasuros hoc tempore existimant, si expertes fuerint litterarum græcarum. Quibus & Aristoteles quicquid ad dialecticen, rhetoricen, & poeticen pertinet, doctissime scripsit; & Ammonius, Simplicius, Themistius, Alexander Aphrodisieus, Philoponus, Eustrathius, & ceteri Peripateticorum sectæ eruditissimi viri, omnia quæcumque vel scientiæ pervestigatione, vel differendi ratione comprehenderat Aristoteles, optime ac luculentissime commentati sunt: quibus item Hippocrates, Galenus, Paulus, & alii in medicina excellentissimi viri omnia quæ ad medicæ artis spectant cognitionem copiosissime, verissimeque litteris commendarunt. Non aliis quam græcis litteris ii qui Mathematici vocantur artem suam obscuram, reconditam, multiplicem, subtilemque, facillimam cognitu posteris tradiderunt; quo in genere permulti, ut Architas, Ptolemæus, Nicomachus, Porphyrius, Euclides perfecti homines extiterunt. Quæ omnia quam depravate & corrupte, quam mutilate & perperam, ut taceam etiam quam barbare & inepte latinis scripta sint, quis vel mediocriter eruditus ignorat? Sed brevi spero futurum, ut explosa barbarie, reiectisque ineptiis, bonis litteris, verisque disciplinis, non ut nunc a paucissimis, sed uno consensu ab omnibus incumbatur: & erit tandem, ut glande neglecta, inventis vescamur frugibus. Optime igitur tu, mi Clari, in præstanti ista & opulenta Urbe Ragugio juventuti contulis, qui eam & græce & latine simul, ut præcipit Quintilianus, summo studio ac fide jam multos annos publico conductus stipendio doces. Quod ut tibi factu facilius sit, mitto ad te Aristophanem, ut illum non modo legendum, sed ediscendum quoque discipulis

præ-

Landesbibliothek Oldenburg